



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

4 Sitné actus intellectus in meditatione potior actione voluntatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

MEDITANDI PARS I. 221

*Sitne actio intellectus in meditatione  
potior actione volun-  
tatis.*

C A P. I V.

**H**ACTENVS tam ex nomine, quam ex natura meditationis facile intelligere potuisti, ad meditationem necessario concurrere duarum superiorum animi facultatum, intellectus scilicet & voluntatis actiones, quas B. AVGVSTINVS in libris de Trinitate, vno nomine MENTIS comprehendit. Nec ab ea sententia discedit B. Bernardus, & Richardus, etiam si in suis definitionibus videantur tantum intellexisse actionem intellectus: nam in libris eorum citatis omnia ad hominis interni externiq; reformationem dirigunt, quæ reformatio citra cooperationem fieri non pōt. Et forte ambo voce MENTIS vtramque facultatem cum Augustino intellexerunt. Quod si contendas eos de solo intellectu locutos, excipiam non de contemplatiuo, sed pratico intellectu locutos, qui cogitationes suas semper dirigit ad operationes: quod pertinet ad voluntatem.

Quod si vero sciscitare, vtra duarum a-  
B ; ctionum

tionum præcipue ad Meditationem pertineat, intelligendi, an volendi. Respondeo, si præcipuam eam voces, quæ ordine in agendo prior est, & diuturnior, esse intelligendi, vti liquebit: si vero, quæ vtilior & efficacior, est volendi, quod perspicue constabit ex similitudine venationis hic subiicienda.

VENATOR vbi in campum venationi idoneum prodierit, primo odorum vel sagacem canem emittit, is hac illacque discurret, in gyrum se agit, ac tandem reperta perdice eam attollit: qua conspecta accipiter eam mordicus apprehendit, & in sublime elatam mox cum impetu in solum eam reiicit, & afflictam terræ occidit. Ecce canis venationi dat initium, multumque temporis consumit, antequam offendat prædam, accipiter autem vno penè momento prædam conficit. Canis representat intellectum, accipiter voluntatem. Intellectus enim inchoat nostram spirituales Meditationis venationem, hinc inde discurrens, donec prædam aliquam, hoc est, salutare aliquod punctum reperiat, & repertum præsentet voluntati, quæ præsentatum statim adoxitur. Vides ergo primas partes, &  
lon.

longiores tenere intellectum, ac secundum hunc sensum præcipuas: voluntatem vero, quia bonum oblatum apprehendit & possidet, tenere utiliores. Hoc enim venatori vel aucupi maxime est propositum, ut nempe præda potiatur, maxime si sit pauper: neque contentus est, aut auis, aut leporis conspectu. Quare & cum nos in rebus spiritualibus inopes simus, pati minime debemus, ut intellectus duntaxat prolixos faciat discursus, verum ut voluntas bonorum desideriorum, sanctorumque propositorum, quibus vitam Spiritualem sartam tectam conseruamus, prædam ab intellectu præsentatam apprehendat.

ATQVE ut in similitudine venationis persistamus, scire debes, quemadmodum aliquando vsuuenit, ut campus multiplici præda abundet, & ideo venatorem vna verbi causa perdice capta, canem cohibere, ne æquo citius reliquas inuadat, & ita quaedam perdat, eundemque modum tenere, donec omnes ceperit: sic tibi quoque faciendum, quando fecunda se offert meditationis materia, ut nempe non ante patiaris intellectum ad nouas res inuestigandas progredi, quam voluntas afficiatur ad

primam; & sic deinceps, donec omnia per-  
 uaserit. Verum & aliud incidere in medita-  
 tionem solet, sicut & in dictam venatio-  
 nem. Vt videlicet vno momento multa bo-  
 na commentatione digna se intellectui  
 obiciant, sicut & in aucupio aliquando à  
 cane multæ simul perdices attolluntur.  
 Quo in casu voluntati imitandus est acci-  
 piter, qui in auem suæ fami subito explen-  
 dæ commodiorem, hoc est, in vicinissimam  
 inuolat. Exempli causa intellectui eodem  
 tempore obiciunt se varia media ad con-  
 sequendam veram humilitatem. Primum  
 est, nunquam se laudare. Secundum, alios  
 se laudantes interpellare. Tertio, illis la-  
 plus suos patèfacere. Quartum, vili amictu  
 vti, & officia in speciem abiecta obire. Ita-  
 que si incidas in eos, qui diem in laudibus  
 tuis consumunt, ad obtinendam humilita-  
 tem, non sunt tibi assumendæ laceræ ve-  
 stes, sed medium opportunum tentatio-  
 ni illi repellendæ, nempe vel impedi-  
 do huiusmodi colloquia, vel eorum socie-  
 tas deserenda. Ac vt finem huius discursus  
 faciamus, sicut venatori plene satisfactum  
 non est, quando perdicem captam videt in-  
 teremptam, nisi & in manus suas eam reci-  
 piat, sic nobis satis esse non debet, vel mul-